

Alte Drucke

Postillae Sive Conciones ... In Epist. & Euang. de Sanctis ... memoria

POSTILLÆ SI-||VE CONCIONES REVE-||REND. D. IOANNIS FERI, || Metropolitanæ
Moguntinæ Con-||cionatoris absolutiss. || In Epist. & Euang. de Sanctis, quorum
à Festo || Pascæ vsque ad Aduentum in ...

Wild, Johann

Antverpiae, 1559

PIO ET CHRISTIANO LECTORI PHILIPVS AGRICOLA THEOlogiae Doctor, gratiam
Dei per Iesum Christum precatur.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150413

PIO ET CHRIS- TIANO LECTORI PHI-

LIPPVS AGRICOLA THEO-

logiæ Doctor, gratiam Dei per Je-
sum Christum precatur.



Ecundam hanc, siue æstiuam Po-
stilla partem, candide Lector, quã
fieri potuit accuratissimè in bre-
ues conciones ex relicto authoris
archetypo redegintus: non quidẽ
eo consilio, vt te reliquis illius Sermonibus pri-
uaremus, aut eos immeritò supprimeremus:
sed vt ad tempus vsum quoque Sanctorũ qui
per æstatem celebrantur haberes, donec oppor-
tunitatem nasti maiorem, reliquos etiam Ser-
mones in lucem proferamus. Quamuis autem
præsens huius exulcerati seculi status ab hoc la-
bore detertere aliquẽ facillè possit: in quo nimi-
rum animi hominum vsqueadeò exacerbatĩ
sunt, vt si fieri posset, Sanctos Dei ipsos, quorũ
vitã & passiones ludibrio habent, de cœlo quo-
que deiecturi essent: spero tamen Deum æter-
num & benignum Patrem in tanta malorum
colluie, aliquem sibi piorum cœtum seruaturũ
esse, qui à recto tramite non aberrant, nec
sequantur, vt Petrus ait, viam Balaam filij Bo-
for, qui mercedem iniquitatis dilexit, neque
genua etiam curuaturi sint ante Baal: sed quĩ-
bus Ecclesiæ vnio iuxta Apostolicũ vsu ma-
gis placeat, quàm contentiones & schismata,

2. Pet. 2.

3. Reg. 19

A 2

per

EPISTOLA

per que discinditur misère & dilaceratur Christiana charitas. Quibus, cum norint externa exempla rudioribus necessaria esse, hæc scripta parari debent. Noster quidem hic Author tempus sibi à Deo constitutum, non aliò, quàm ad salutem & vtilitatem Ecclesiæ conuertendum

2. Tim. 5. duxit, non ignarus Pauli præceptum ad Timotheum, iubentis opus Euangelistæ facere, ad alios etiam verbi ministros pertinere. Quamobrem in eam curam per totam vitam diligenter incubuit, vt in hac sua vocatione gregem sibi commissum sedulo admoneret, instaret oportune, importune, in ditionibus, ciuitatibus, villis: nec contentus doctrinam purè tradidisse, exempla etiam Sanctorum suis proposuit, vnde perspicerent, quomodo sancti Patres synceritate doctrinæ & integritate vitæ nobis præluxerint. Quæ res Euangelium in primis, præcipuè verò in doctrina & consolatione crucis promouet: cum afflicti intelligunt, se non solos esse qui persecutionem ferant, sed habere eam cum multis millibus communem, quorum pars magna præcesserint, alij comitentur, alij verò adhuc secuturi sint: imò verò Christum per fidelium cruces & tormenta gloriam & potentiam suam tam magnificè mundo patefecisse semper, & adhuc patefacere quotidie. Quæ doctrina longè saluberrima, si omnibus in locis & Ecclesijs, ita vt par est retineretur & seruaretur in vsu: proculdubio maiore cum fructu apparituri essemus in die Domini, quàm vt nunc fieri posse de nobis sperandum sit. Si enim

DEDICATORIA.

enim leuem hūc & sceleratum mundum cum natura et fructu suo rectē contemlemur: haud abs re cogitabimus, imō etiā palām fatebimur illud iam tempus adesse, quod Christus vnā cum Apostolo suo sancto venturum prädixit: 2.Tim.4. quo nimirum sanam doctrinam non sustinebunt, sed iuxta concupiscentias suas coaceruabunt sibi doctores ij, quibus pruriunt aures, & à veritate quidem aures auertent, ad fabulas vero conuertentur.

Iniuria autem afficiunt Ecclesiam catholicā, qui iudicant eam honorem Christo seruatori debitum, illi detrahere, & ad Sanctos, in quibus tam potenter opus suum exercuit, transferre. Nunquam enim hæc Ecclesiæ mens fuit, & absit ab omnibus pijs isthæc cogitatio. Est autem hæc Ecclesiæ voluntas, vt vnā cum Dauide Dominum in Sanctis, & per Sanctos suos laudibus celebret, vt in quibus gratia Dei tam abundē habitarit. Deinde vt nos post acceptam fidem ad vitā quoque pietatem & modestiam, illorum exemplo perducatur, vt in gratia & cognitione Dei proficiētes, ad salutem eternam crescamus: quales sanctus Petrus vult esse Christianos. Et si autem nostri seculi sanctuli, si dijs placet, obeiecturi fortassis nobis sint superuacta esse Sanctorum exempla in Ecclesia, cum Christi nobis in ea representetur imago, ad quam vitam nostram, tanquam filij sui quā proximē formare debeamus: tamen quia piæ matri nostræ Ecclesiæ non incognita est humanæ conditionis fragilitas, & explora-

EPISTOLA

tum habet, ne minimam quidem filiorum suorum partem ad eam, quæ in Christo est, perfectionem crescere & peruenire posse: vtiliter nobis Sanctorum quoque exempla proponit, vt qui vnà cum Christo metam perfectam nõ possit contingere, cum Paulo saltem & sanctis eius collegis dicere queat: Certamen bonum decertavi, cursum consummaui, fidem seruavi: quod superest, reposita est mihi iustitiæ corona. Ita & discipuli Christi nos docent. Paulus Corinthijs præcipit, vt imitatores sui sint, quemadmodum & ipse Christi imitator est: & tamen adhuc alio loco infirmitatem suam deplorat. Item, Hortatur Hebræos ne sint imbecilles, sed imitatores eorum, qui per fidem ac patientiam hereditatem accipiunt promissionis: Iisdem postea capite duodecimo Patriarchas proponit ad fidei, spei, & charitatis exemplum. Quamobrem Sanctorum etiam memoria in Ecclesia CHRISTI vnà cum doctrina Euangelij, ad imitationem meritò conseruanda est: vt quemadmodum ipsi Christum secuti sunt, ita nos illorum vestigijs insistentes, pariter cum ijs Christo adhæreamus, & iucundū hoc melos SANCTVS SANCTVS, & cætera absoluere conemur. Sic eos DEVS in omnem terram emisit, vt fructum afferat, & maneat fructus ipsorum. Ad eundem modum Paulus Philippenzibus præcipit, vt in medio nationis prauæ ac tortuosæ luceant, tanquam luminaria in mundo. Porro quid veteres Ecclesiæ scriptores de sanctis Dei & festis ipsorum

2. Tim. 4.

1. Cor.

Roma. 7.

Ioan. 15.

Phil. 2.

112.

62.

26

DEDICATORIA.

rum senserint, doctis obscurum non est. Athanasius certè inter recentiores minimè numerandus, tanti facit Sanctorum festa, vt ex eorum obseruatione manifestè indicium sumat, num Spiritu sancto præditus quis sit, necne. Ait certum & euidentis signum Sancti spiritus esse in homine, si de festis Sanctorum vehementer latetur, & hoc tempus quo eorum celebratur memoria, simplicitate, deuotione & obedientia præcipuè transigat. Similia & maiora etiam apud alios extant testimonia, quæ omnia vt hoc loco recenseantur pij necessum non habet, malis verò tadio ac fastidio futura essent: quemadmodum & Paulus Euangelij prædicatione alijs stultitiâ alijs ad scandalum, vocatis verò, Dei potentiam & Dei sapientiam esse asserit. Quæ ingeniorû disparitas & nostro sæculo inuenitur, in ijs etiam, qui Euangelij doctrinam, & sanctorum exempla præ ceteris meritò sequi deberent, vt vehementer admiranda sit Dei lenitas, qua hanc malitiam tam diu tolerare potest. Quod sanè ideo fit, quia, vt Propheta Iohe. 2. ait, Benignus & misericors est Dominus, patiens, & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia, nimirum vt ad pœnitentiam & emendationem conuertamur. Quemadmodum & Paulus testatur: Bonitatem Dei ad pœnitentiam nos inuitare. Vtinam hanc nobis Deus gratiam largiatur, vt his diligenter expensis, ita vitâ & mores nostros instituiamus, vt è peccatis ad iustitiam, è tenebris ad lucē, è mendacio ad veritatē Domini & Seruatoris nostri Iesu Christi

1. Cor. 1.

Iohe. 2.

Rom. 2.

sti euigilemus . Quam ad rem & Sanctorū exempla adiuuēto nobis essent, si sequi eos vellemus, sique tempestiuē nos ad illorum vitam, legendo, audiendo, meditando, fide, charitate, spe & similibus exercitijs Christianis, componeremus. In hunc enim finem celebris & sancta est in Ecclesia memoria illorum: Hanc ob causam nobis & ad doctrinam & ad exemplum proponuntur. Hoc est quod Patres docent.

Quod ad me attinet, hoc opus ex officio suscepi, non vanæ gloriæ, aut priuati commodi causa, sed ad permouendam Ecclesiæ vtilitatem, ne otiosus planē in forum prodirem, sed Dei benignitate adiutus, pro mea quoque portione in vinea Domini vsque ad vesperam, & hoc tempus quod Deus mihi & omnibus pro sacrosancta sua voluntate statuit, laborans inueniret. Oro autem Lectorem beneuolū, vt isto qualicumque initio pro hoc tempore contentus esse velit: neque quidquam de nobis finistrè interpretetur: quod (cum in priore opere Dominicali ab Authore ipso, felicitis memoriæ, promissi fuerint Sermones decem in singulas Dominicas & festa Sanctorum, nec tamen hætenus id per omnia præstitum sit) Authoris id, aut mea, aut Typographorum Francisci Behemi & Theobaldi Spengelij concuium nostrorum, culpa acciderit: neque alium quenquam hoc nomine suspectū habeat. Nōdum enim perficiendi huius promissi occasio vel opportunitas data fuit. Quam simulatque
nacti

DEDICATORIA.

nacti erimus, dabitur à nobis opera, vt qui ad
supplendum hunc numerum denarium Ser-
mones desiderantur, tam in Dominicis, quam
Sanctorum festis, eos in vnum volumen con-
iectos Auctarij vice seorsim non sine piorum
fructu in lucem edamus: vt ne quid emptores
horum operum grauentur.

Deus gratia ac misericordia sua omnibus no-
bis præsto esse, & collapsam ac profligatam
propemodum Ecclesiam suam, quali
postliminio reuocare & erigere
rursus dignetur, Amen.

Moguntia. 16. Fe-
bruarij, Anno

1557.

A 5

